

# O ARCHEOLOGO PORTUGUÊS

COLLECÇÃO ILLUSTRADA DE MATERIAES E NOTICIAS

PUBLICADA PELO

MUSEU ETHNOGRAPHICO PORTUGUÊS

VOL. I

JULHO DE 1895

N.º 7

Inscriptiones Lusitanae aevi christiani ineditae.

Edidit

Aemilius Hübner Berolinensis

AEMILIUS HÜBNER — JOSEPHO LEITE DE VASCONCELLOS s.

Quaesivisti ex me, vir doctissime et amicissime, ut insererem aliquid in ephemeridem archaeologicam *O Archeologo Português* nuper, saluberrimo consilio a te edi coeptam, ut sequelam faceret voluminum eorum, quae Antonius Borges de Figueiredo per aliquot annos ediderat, donec mors praematura indefessae eius industriae finem imposuit. Ut voluntati tuae obtemperarem et quantum in me est adjuvarem rerum antiquarum studia inter cives tuos olim florentia, nunc vero coli fere desita, incidi in titulos aliquot christianos nondum editos. Proveniunt illi e Lusitaniae meridionalis oppidis vetustis Ossonoba, Balsa, Myrtili; repererat plerosque ante hos viginti et quod excedit annos Staius da Veiga, iam vita functus, et intulit in museum Algarbiense, quod Olisipone ipse instituerat, nunc tuae curae traditum esse laetamur. Reliquos debeo amicorum meorum, qui in Britannia vivunt, officiosae liberalitati.

Verum est, non admodum gravis argumenti eos esse omnes. Sed tamen qui primo loco editur, commendatur scriptura unciali, quae rara est in lapidibus inscriptis; qui secundo, quamquam mutilus, propter formulam inusitatam «domini milex», si recte supplevi. Qui sequuntur Ossonobenses (nr. 3, 4) et Balsensis (nr. 5) fragmenta tantum sunt per se inutilia. Sed cum ex Ossonoba et ex Balsa hi primi omnino prodeant tituli christiani, digni sunt qui litteris mandentur et edantur.

E Myrtili vetere cum inscriptiones aevi vetustioris perpaucae adhuc provenerint — composui eas in *Corporis Inscriptionum* volumine II

nr. 15-20 et in *Supplemento* nr. 5178-5180 — eademque exigui vel, si unam exceperis (nr. 15), paene nullius pretii, christianae ibi inventae non paucae non carent sua utilitate. Edidit eas qui repperit idem Staius da Veiga ille, de monumentis Lusitaniae optime meritis, in libello de antiquitatibus Myrtilensibus (*Memorias das antiguidades de Mertola, observadas em 1877*, etc., Olisipone 1880; vid. *C. I. L.*, II, *Supp.*, pag. 788); quas hic non repeto. Duo autem et ipsae Myrtilenses cum ab hominibus exteris emptae in Britanniam translatae sint, effugerunt Veigae diligentiam. Tituli hi omnes demonstrant, in urbe Myrtili per saecula quintum potissimum et sextum floruisse societatem christianorum multosque nactam esse asseclas.

Pauca sunt quae ad seriem hanc inscriptionum christianarum illustrandam adscripsi. Adscripsi vero sermone Latino, quo docti Lusitani olim usi sunt magna cum elegantia nec minore facilitate — veluti, ut unum nominem in hac scribendi arte principem, Hieronymus Osorio, Emmanuelis et Iohannis Portugaliae regum historiographus clarus —, nunc vero uti paene desierunt.

Tu vero vale et rebus vetustis mihi que, ut facis, favere pergas. Scripsi Berolini in festo paschali a. MDCCCXCV.

## Nr. 1

Ossonobae (*Marim, concelho de Olhão, Algarve*), tabella marmorea alta m. 0,25, lata 0,21; servatur Olisipone in museo Algarbiensi. Litterae sunt unciales quae vocantur parvae, altae m. 0,025.

ROGATA  
FAMOLA  
DEI VIX A  
NNOS-PL-M LV  
RECE  
I

Descripsi et ectypum sumpsit.

Legē: *Rogata famola dei vix(it) annos pl(us) m(inus) LV, rece[ssit] i[n] pace. . . .*

Scribendi genus hoc in lapidibus adhibitum est iam inde a saeculo tertio in provincia Africa, inde a quarto in actis potissimum non admodum raro (vide *Exempla mea scripturae epigraphicae*, pag. XXXVIII

et nr. 1146-1152). Cum aerae indicatio perierit, coniectura tantum titulum hunc tribuere licet saeculo fere quinto.

In versu quarto ante et post *pl* litteras, punctum est lineolae simile.

## Nr. 2

Ossonobae (*Marim*), fragmentum tabellae marmoreae, altum m. 0,20, latum 0,19; servatur Olisipone in museo Algarbiensi. Litterae non sunt bonae, altae m. 0,03, saeculi fortasse sexti.

.....  
*r* ECESSIT  
*i* N PACE  
*dni m* ILEX  
*d* XII KAL IVLI  
 AS  
 .....

Descripsi et ectypum sumpsi.

Lege: ..... [*r*]ecessit [*i*]n pace, *d(omi)n(i)* [*m*]ilex?, *d(ie)* XII *kal(endas) Iulias*.....

Quamquam nomina defuncti et aerae indicatio desunt, memorabilis tamen titulus est propter formulam, si recte supplevi, *domini milex*, aliunde quantum scio nondum repertam. *Milex* pro *miles* aetate labente non raro pronuntiatum et scriptum adnotaverunt grammatici.

Versu quarto *a* littera in *kal* vocabulo formam habet uncialem.

## Nr. 3


Ossonobae, ex ipsis *Faro* urbis moenibus, ubi extabat *com face para o quintal de Frederico Lazaro Cortes*; extraxit Staius da Veiga et intulit museo Algarbiensi, quod Olisipone est.

T O  
 A I  
 C

Descripsi ex ectypo a Veiga misso et ex lapide, quem vidi a. 1881. Fragmentum explicari nequit; sed ne prorsus interiret edidi.

## Nr. 4

Ossonobae (*Marim*), fragmenta titulorum christianorum quattuor, servata in museo Algarbiensi.



Descripsi et ectypa sumpsi; misit etiam a se descripta Statius da Veiga.

Frustula nimis exigua quamquam nihil nos docent, tamen ne prorsus neglegerentur adnotavi, si forte alia accederent quibus supplerentur.

## Nr. 5

Balsae, fragmenta duo, alterum repertum *em Cacella, na Quinta do Maro*, alterum *em Torre de Ares*. In museum Algarbiense, quod Olisipone est, intulit Statius da Veiga.



Descripsi ex ectypis a Veiga missis, alterum (*b*) vidi a. 1881. Propter litterarum formam videntur inscriptiones fuisse christianae.

## Nr. 6

Myrtili reperta, tabella lapidea alta pedes (Anglicos) 2, lata digitos 20; extat Ponte Aelio, i. e. *Newcastle-upon-Tyne*, in urbe Britanniae septentrionalis, in museo Societatis antiquariorum Aelianensis, cui intulit Warden Britannus incola Myrttilensis.



P BRITTO PRES ♡  
 VIXIT ANNOS  
 LXV REQVIEVIT  
 IN PACE DNI D  
 NONAS AGVSTAS  
 ERA DLXXXIIII

aera 584  
 p. Chr. 546

Iohannes C. Bruce antiquarius quondam Aelianensis clarus misit a se descriptam mense Martio anni 1888; idem edidit in actis societatis supra scriptae (*Proceedings of the Society of Antiquaries of Newcastle-upon-Tyne*), vol. III, 1888, pag. 264.

Lege: ✠ Britto pres(byter) vixit annos LXV, requievit in pace d(omi)ni d(ie) nonas Agustas era DLXXXIIII.

Observe *Agustas* pro *Augustas*, formam vulgarem, quam servant linguae Romanicae.

## Nr. 7

Myrtili reperta a. 1886, tabula marmorea alta pedes (Anglicos) 2, digitos 4, lata pedem unum digitos 6; Cantabrigiam in Britanniam secum tulit Gadow, ubi servatur.



P SIMPLCVS  
 PRBS ♡ FAMV  
 LVSDI ♡ VIXIT  
 AN ♡ LVIIII ♡  
 REQVEVIT IN  
 PACE DNI ♡ ♡  
 VIII KAL SEPTEM  
 BRES ♡ ERA  
 DLXXV ♡

aera 575  
 p. Chr. 537

Iohannes C. Bruce misit acceptam a Gadow medico Germano, qui edidit in ephemeride *Cambridge University Register*, a. 1887, pag. 539.

Lege: ✠ *Simplicius pr(es)b(yster), famulus D(e)i, vivit an(nos) LVIII, requievit in pace d(omi)ni d(ie) VIII (octavo) kal(endas) Septem(bres), era DLXXV.*

Puncta formam habent foliorum hederæ, ut non raro.

---

### Epistula ad Aemilium Hübner

JOSEPHUS LEITE DE VASCONCELLOS—AEMILIO HÜBNER *s. d.*

Non modo pro epistula tua, sed etiam pro opusculo egregio ei adjuncto, quo ephemeris *O Archeologo Português* maxime illuminatur, gratias tibi ago debitas. Namque antiquitatis Lusitanae studiorum fautor atque ornamentum es, quod ex operibus magnificis de iis incredibili diligentia miraque accuratione abs te editis manifesto apparet. Simul praeclaram tibi gratiam habeo, quod ad inceptum meum amicis me verbis excitavisti, ex quibus, cum ab tanto viro sincero et eruditissimo profecta essent, summam etiam delectationem cepi.

Tum, cum litteras tuas ad me scribebas, regiones meridionales Portugalenses obibam; et in ipsis oppidis Mertoli Ossonobaque, de quibus paulo ante locutus es, titulos alios Romanos, alios Christianos inveni et descripsi, quos in paginas ephemeridis *O Archeologo Português* brevi inseram, ut tuis ponderibus eos examines.

Cura, ut valeas.

Olisipone, Kal. Iun. a. MDCCCXCV.

---

### Gruta da Senhora de Carnaxide

O templo e gruta de Nossa Senhora de Carnaxide, a pouca distância de Lisboa, gozam de muita fama na devoção popular, por causa de uma lenda que corre na tradição. Como me occupo do estudo das nossas lendas, e esta se localiza num sitio aonde eu podia ir facilmente, fui lá ha tempos, e obtive um *registo* de que dou na figura junta a parte principal, e um folheto que se intitula *Historia narrativa de uma*